

Theses Theologicæ,
EX OMNIBVS
PARTIBVS SVMMÆ
S. THOMÆ, IN ACADE-
MIA INGOLSTADIENSI
 ad publicam disputationem
 propositæ.

Anno Christi M. DC. XVII.

DIE XV. SEPTEMBRIS.

Respondente

IOACHIMO ERNDLIN SOCIE-
TATIS JESV, SS. THEOLOGIE
STVDIOSO.



7 INGOLSTADII,

Typis Ederianis apud Elifabetham Anger-
 marian, viduam.





COELORVM REGINÆ AVGVSTISSIMÆ ET

B. P. N. IGNATIO.

EX PRIMA PARTE.

THESIS PRIMA.



Univ. Bibl.
München



HIEROCLIA non quidem singulis, sed pro singulis in Ecclesia necessaria licet non sit Aristotelica scientia, est tamen habitus discursiuus illa longè certior & sublimior, versaturque innixus principiis reuelatis primariò circa Deum, secundariò circa alia. Locus vñde infallibile argumentum eruat potest esse scripturæ sensus non solum literalis, verum etiam mysticus.

2. Deus solus per essentiam bonus est, & rerum omnium perfectiones varias formaliter aut eminenter continet simplicissimus, nec locus vllus in quo non, nec res vlla in qua non existat per essentiam, potentiam, & præsentiam, ita quidem vt hic præsentiz modus nulli creaturæ adæquatè sit communicabilis; etiam extra cœlum esse Deum quàm certissimum est.

3. Clara Dei visio à creato intellectu supernaturali habitu luminis gloriæ (qui tamen absolute non est necessarius, neque vlli creaturæ per vllam potentiam potest esse connaturalis) instructo elicitur: & necessariò representat omnia in Deo formaliter existentia, alia verò non necessariò, quædam tamen creata in verbo visionis, & possunt cognosci & cognoscuntur. Visio hæc similitudinem vti expressam habet, ita impressa de facto caret.

4. Deus solus seipsum per seipsum comprehendere potest, & comprehendit in se ipso omnia alia etiam impossibilia, entia rationis, peccata, infinita, &c. Nec fugiunt oculum illum futura siue absolute siue conditionate, non vt in causis cõtingentibus, qua talibus, latentia, verum vt propriam & determinatam, vel absolute, vel ex hypothesi habentia entitatem. Præcipientia Dei stat cum libertate nostra.

5. Vult Deus se necessariò, creaturas futuras liberè citra sui tamè mutationem propter se volitionis huius nec datur causa efficiens, nec finalis. Voluntas efficax impletur semper etiam in liberis agentibus, stante eorum libertate; modò prædeterminationes aliquorum fatales & physica non admittantur, non item inefficax, licet nihilominus seria sit.

6. Providentia est actus intellectus diuini practici ordinantis res omnes extra se per debita media in fines suos, quæ semper finem suum assequitur; si non particularem, certè generalem; cuius nobilissima pars est prædestinatio creaturæ rationalis ad gratiam & gloriæ: habet

habet hæc effectus certos Vocationem, Iustificationem & Glorificationem, non item permissionem peccati: eius causa, vt est actus immanens Dei nulla datur.

7. Causa verò efficiens principalis physica ratione eius effectuum omnium Deus est, moralis siue meritoria Christus: an & prædestinatus? Adultus si sit, omnino, modò inadæquate prædestinatio accipitur; secus si adæquate: Reprobatio positiua à gratia & gloria semper in homine causam habet, negatiua siue permissio peccati non semper. Certissima est prædestinatio & reprobatio sine damno nostræ libertatis.

8. Potentia actiua vti Deo maximè conuenit, ita passiuæ ab eo longissimè abest: illa ordinaria & absoluta est, in neutram cadunt præterita qua talia, secundum ordinariam plura fieri non possunt, quàm fiant, secundum absolutam possunt plura fieri & numero & specie diuersa, immo omnia quæ non implicant contradictionem, siue illa statim atque proposita & nostro respuantur intellectu, siue non.

9. Deus vt vnus in natura, sic trinus in personis est. Filius à Patre vti principio non causa, Spiritus sanctus & à Patre & Filio procedit: illius processio generatio est, huius minimè: vt traque immanens non à natura vt essentia, sed vt voluntas & intellectus est, per singulas licet non possit procedere quod per vtramque, neutra tamen hinc imperfecta est.

10. Intelligit amatque Pater, Filius & Spiritus sanctus, Solus tamen Pater intelligendo generat, & solus Pater & Filius amando spirant. Relationes in diuinis dantur reales quatuor, ab essentia omnes ratione, inter se autem tres realiter distinctæ, secundum quas constituuntur, & distinguuntur tres personæ, ad eò mirabili mysterio, vt omnem naturalem rationem excedat: ei tamen non repugnet.

11. Notiones quinq; tantum sunt, Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio & actiua, Processio: ex his quatuor sunt proprietates & totidem relationes, vt enim spiratio non est proprietatis, ita innascibilitas non est relatio. Pater notionaliter & essentialiter dicitur principium: Filius principiatum melius negatur, optimè Verbum affirmatur productum tam ex cognitione intuitiua SS. Trinitatis, quàm ex creaturarum cognitione simplicis intelligentiæ.

12. Spiritus sanctus immediatè procedit à Patre & Filio velut vno principio & spiratore, quatenus Pater & Filius in communi spirandi virtute identificantur. A personis si demas relationes, & personæ tolluntur. Actus notionales quamuis sint necessarii, tamen etiam voluntarios esse certissimum, horum principium remotum est natura diuina, proximum generationis quidem intellectus, spirationis verò voluntas.

13. Inter res creatas naturales nobilissimi sunt Angeli omnino incorporei & immateriales, natura sua incorruptibiles. Sunt in loco formaliter per vbi licet sit indiuisibilis. Adæquatum naturaliter excedere non possunt, in hoc tamen socium non respuunt, Mouentur motu continuo rum discreto. Cognoscunt suâ substantiam naturaliter per suam substantiam, alias mediantibus speciebus.

14. Furura contingentia à libero pendentia arbitrio naturaliter non cognoscunt, sicut nec supernaturalia. Loquuntur sibi inuicem conceptus suos dirigendo ad se etiam distantissimi: Creati sunt in beatitudine naturali & in gratia inæqualiter tamen pro ratione dispositionis & naturæ: Viam boni & mali ementi sunt duobus vel tribus instantibus Angelicis. Mali veris sed miris modis torquentur igne.

EX PRIMA SECVNDÆ.

15. Beatitudo obiectiua & finis vltimus hominis Deus trinus & vnus est, formalis integraliter spectata visio eiusdem, amor atque gaudium de eodem, essentialiter verò sola visio, etia

Disputatio

am remissa, quam necessarid sequitur amor & delectatio, inde impeccabilitas, quæ tamen sola manente visione beatifica in beato remaneret, adeoq; & talis essentialiter esset beatus, & ab intrinseco impeccabilis.

16. Perpetuitas est de ratione beatitudinis integre, quam in communi sumptam naturaliter omnes appetunt, in particulari non item, quam nec homines, nec Angeli viribus, naturæ possunt vel potuerunt obtinere; obtentam verò semel in termino nunquam amittere; licet vnus altero ob disparem meritorum rationem iam perfectius possideat.

17. Voluntarium non est idem quod liberum, perfectum si sit, solinaturæ rationali competit: censetur & illud voluntarium, quod potuit ac debuit impediri, non tamen impeditum: Sicut & id quod potuit tantum physicè loquendo. Concupiscentia antecedens auget voluntarium, minuit liberum; & subinde tollit. Ignorantia comitans facit non voluntarium. Antecedens simpliciter inuoluntarium. Consequens, secundum quid. Metus causat simpliciter voluntarium, secundum quid inuoluntarium.

18. Voluntas est circa bonum & malum, circa finem & media, vno vel diuerso versatur actu, appetit necessarid quoad specificationem quidquid in intellectus sub sola ratione bene proponitur, etsi interdum æquale & deterius eligat. Potest necessitari à Deo, cogi non item quoad actus elicitos, bene tamen quoad actus aliquos imperatos. Contractus, per vim facti irriti sunt, & coactus per vim veram facere quod erat alioqui delictum aut maleficium, excusatur à peccato, modò etià corporis conatu vel aliis modis vim illà conarus fuerit impedire.

19. Omnis & solus actus liber humanus & propriè moralis est, liber extrinsecè à libertate voluntatis dicitur. Sunt boni, sunt mali ex objecto, sine, circumstantiis. Nullus indifferens secundum indiuiduum ex natura rei est. Ex improbabili opinione nūquam licet operari, licet ex practicè probabili. In dubio pratico de honestate actionis tutior pars est eligenda.

20. Ratio formalis peccati consistit in priuatione perfectionis & rectitudinis debite. Peccatum ex objecto leue potest ratione circumstantiarum ad eò crescere, vt grauius sit, quam grauius ex objecto. Omne peccatum est in voluntate velut in radice & secundum aliquid intrinsecè in peccato connotatum: est tamen etiam formaliter in aliis potentiis.

21. Nullum peccatum fieri potest, vbi ratio non aduertit aut suspicata fuit, aut dubitauit de malitia vel periculo eius, & si mortale sit, debet adesse perfecta aduertentia malitiæ grauis & perfectus consensus. Originale dari ex fide certum est non ratione naturali; transit in omnes posteros Adami, augustissimam Dei matrem si excipias, alij qui non per ordinariam viam generationis descenderent, ei non subiacerent.

22. Adam si non peccasset, etsi Eva peccasset, posteri non contraxissent peccatum; & verisimilius est nec posteros contracturos fuisse, si in gratia prius procreatis liberis postea primum Adam peccasset. Hoc peccatum est priuatio iustitiæ originalis, vnum specie in omnibus, numero multiplex. Eius principalis causa est Adam, conditio sine qua non propagatio ab Adamo per modum generationis naturalis. Causam autem huius vel aliorum peccatorum Deum esse & impium est dicere & impossibile.

23. Lex & rationis & voluntaris actus non obligat nisi promulgetur sufficienter, ad eius tamen essentiam non spectat acceptatio. Humana de actibus merè internis non datur. Aliquæ veritates naturales tam practicæ quam speculatiuæ sine speciali auxilio gratiæ possunt cognosci, non tamen supernaturales fide diuina credendæ. Aliquod etiam opus morale naturale fieri, sicut & præceptum seruari potest sine eo in hoc statu, non tamen omnia coniunctim sumpta longo saltem tempore, neque vllum supernaturale.

24. Gratia & sufficiens & efficax datur, huius efficacia non consistit in prædeterminatione physica voluntatis ad opus, sed secundum actum primum spectata in sua ratione atque affectione

ctione morali substantie scientiæ Dei infallibili, spectata verò quoad actum secundum in effectivo influxu ipsius gratiæ in opus, hic autem influxus etiam pendet à libero arbitrio. Per præuenientia auxilia physice æqualia potest vnus conuerti, alter non.

25. Iustificacionis terminus formalis est gratia habitualis qualitas homini, intrinseca. Meritum de condigno non de rigore iustitiæ in homine erga Deum datur respectu gloriæ, gratiæ secundæ, &c., in quo habitualis ad Deum operis relatio sufficit, & necessaria est præter alia etiam promissio diuina & acceptatio. Meritum de congruo licet deur non tamen datur respectu reparationis à lapsu.

EX SECUNDA SECUNDAE.

26. Fidei diuinæ obiectum materiale primarium est Deus, secundarium res aliæ, de quibus habetur reuelatio. Ratio formalis Quæ, est Deus. Ratio formalis propter quâ, diuinâ reuelatio obscura siue publica sit, siue priuata. Propositio est cõditio sine qua nõ fidei, ad quâ vt acceptetur accedere debent alia motiua, quibus euidenter credibilis res proposita fiat, de lege Dei ordinaria: sine his enim prudenter nemo assentietur rebus fidei.

27. Fidei diuinæ falsum subesse non potest. De obiecto fidei per se loquendo potest simul assensus fidei visionis & scientiæ haberi. Non est in Beatis nec Damnatís, neque Hæreticis. Requiritur etiam pia animi affectio, vt fide diuina credas. Spes primariò circa Deum versatur, prout est bonum absens arduum & beatitudo nostra, secundariò circa alia bona supernaturalia in ordine ad primarium Obiectum.

28. Probabile est neq; actum neq; habitum spei in Beatis esse, quæ certa est si referatur ad diuinam promissionem, non expers metus si ad dispositionem nostram. Charitas virtus Theologica est amicitia supernaturalis erga Deum, quæ vna & eadem specie respectu Dei, proximi & nostri, nec extensiuè augeri potest, quamuis posset intensiue non quidem physice ab homine, sed meritoriè per actus charitatis elicitos etiam remissos in infinitum, natura eius si consideretur.

29. Augeri etiam per actus Imperatos charitatis, et si imperium hoc tantum sit habituale, & probabile est augeri secundum totam latitudinem actuum charitatis: hæc verò efficacia augendi non tantum desumenda est ex intensiõne gradualis physice, sed morali etiam. Charitas viè est eiusdem speciei physice, cum charitate patitiæ, maior potest etiam esse in via, quam sit in patria respectu aliquorum.

30. Iustitia propriè dicta est virtus in voluntate sita, cuius obiectum proprium & formale est ius seu iustum simpliciter dictum, non vsquequaque cum contra passio coincidens, neque requirens ratione alteritatis sufficientis distinctionem suppositorum, quod inter Patrè & Filium, Dominum & seruum, Deum & Hominem etiam dari potest. Materia eius propria & principalis à maiori parte sunt res & actiones externæ, non passiones. Medium eius medium rei non rationis est.

31. Iustitia alia est legalis, particularis alia. Particularis alia commutatiua, alia distributiua: illa attendit æqualitatem arithmeticam, hæc geometricam. Legalis est propria & specialis virtus à cæteris distincta, & quidem iustitia propriè dicta per se attendens bonum commune & actus aliarum virtutum, quatenus huic fini inseruiunt, prouocat.

32. Restitutio est actus solius iustitiæ commutatiuæ, distincta à satisfactiõne, eius obligatio oritur ex violatiõne iustitiæ commutatiuæ vniuersim, distributiuæ aliquando, nunquam præcisè ex violatiõne legalis. Tituli restitutionis duo sunt strictè si accipiatur, res accepta & iniusta acceptio, qui aliquando sunt coniuncti, aliquando non. Est necessaria necessitate nõ modò sed præcepti primariò negatiui, secundariò affirmatiui.

Disputatio.

33. *Loedens per beneficium, vim, aut fraudem bona animi naturalia acquisita vel etiam contra iustitiam impediens acquirenda tenetur quoad potest amoliri vim, fraudem, beneficium, tenetur curare, vt vis pristina redeat, tenetur compensare subsequuta damna ad prudentis viri arbitrium & probabilius etiam ipsum damnum naturale speculatiue loquendo.*

34. *Abducens à Religione per vim & fraudem religiosum, ex iustitia tenetur ad compensationem damni temporalis, quod tam ipse seductus, quam religio incurrit, & quoad opportunè potest vel seductum, vel alium à religione non alienum ad Religionis propositum inducere: Damnum irreparabile corporis vel animi illatum aliquatenus compensandum. Ecclesiasticorum bona superflua in vanos usus, amicorum que opes cumulandas applicata restitutioni secundum probabilem funt obnoxia, secundum certissimam strictissimo misericordiarum præcepto pauperibus debentur.*

35. *Iudicium priuatum & publicum sunt actus iustitiæ, licitum vtrumque debitis seruatis circumstantiis, publicum validum est etiam ex prauo affectu procedens, nullo modo tamen in conscientia, si ex parte rei iudicæ sit iniustum, etsi processus fuerit secundum allegata & probata. Dubia de persona proximam meliorem partem saltè negatiue interpretanda sunt. Index peccat sequendo minus probabilem: si sint sententiæ paris probabilitatis, modò licet non sit de bonis temporalibus, licitum erit sequi alterutram.*

36. *Tyrannum quoad modum priuato non licet occidere, neque Innocentem per se, si innocens tamen petatur à Tyranno minitante aliàs interitum Reip. tum potest cogi vtro vt se Tyranno offerat, atq; etiam occidi si cõtumaciter renitatur, indirectè etiam iustæ defensionis causa talem occidere non est illicitum. Vt saluetur mater licet dare medicinam in partu, ex qua moriturus sit infans post susceptum baptismum, vel si aliàs non peruenturus fuisset ad baptismum Ad furti quantitatem respectiuam notabilem est etiam habenda ratio circumstantiarum. Absoluta quantitas notabilis incerta valde est.*

37. *Vsura per se illicita est omni iure. Contractus, quo accipiuntur pro ceatim quinque, potest & licitus esse, aut saltem tolerabilis, & illicitus. Religionis virtutis moralis obiectum Cui, Deus est, Cuius, excellit etiam diuina, Quod, cultus. Distinguitur à gratitudine, penitentiâ, & iustitia commutatiua. Votum solenne vniuersim non est de essentia religionis.*

38. *Omne iuramentum assertorium, si falsum sit, siue in re magna siue parua est peccatum mortale. Imagines verè ac propriè aliquo modo coluntur; sunt etiam obiectum Quod cultus, ad easque non tantùm externa veneratiõis signum, sed etiam affectus aliquo modo dirigitur, semper tamen propter prototypon. Simoniacus non est qui rem sacram ratione materiæ pretio æstimabilem vendit, nisi lex aliqua obstat: vel accipit pretium ratione laboris accidentaliter annexi rei spirituali, &c. an. erit is qui ratione intrinsecæ molestiæ ipsius actionis accipit critiuxta veriorẽ.*

EX TERTIA PARTE.

39. *Incarnatio ad reparationem humani generis simpliciter necessaria non fuit, ita tamen conueniens, vt neque per absolutam Dei potentiam aptius ad eum finem medium excogitari potuerit. Opera Christi & satisfactio eius secundum se & ex proprio valore non nuda acceptatione Dei sufficientes & abundè pares fuerunt offensiæ compensandæ, imò simpliciter, & vnde quaque valoris infiniti (infinitate morali), in actu primo, & infinitis quasi partibus maiores offensa.*

40. *Etsi quidem tantæ efficacæ fuerint opera Christi, tamen problematicum est an debeant acceptari à Deo. Hoc tam egregium mysterium homine non peccante futurum non fuisset. Incarnatio non est productiua Humanitatis sed vnitua extremorum, adeoque productiua solius vnionis, seu totius compositi quod est Christus. Vnio est modus substantialis supernaturalis, distinctus ab humanitate, cuius terminus formalis est vnio, seu natura vt vnit.*

41. Causa meritoria de condigno vnionis nulla datur, efficiēs principalis physica sanctissima Trinitas ita est, vt alia esse non possit: instrumentalis vōn improbabili- ter B Virgo affirmatur, licet probabilius negetur. Facta etiam, hæc vnio immediatè non in natura diuina, sed substantia relatiua non absoluta, quæ nulla est, ita vt solus Filius assumpsisse dicatur vnā humanam naturam, licet plures posset in infinitum synecategorematicè, vt & reliquæ personæ, neque etiam tantum humanam naturam, verùm etiam Angelicam & rationis ex- perteret, absoluta si spectetur potentia, assumere.

42. Ordine intentionis tota natura humana prius fuit assumpta, quàm partes, non aut ordine executionis. Partibus respondent partiales vniones, quæ si inter se vniantur totius humanitatis assumptio vel nouus assumptionis modus erit. Adæquatus terminus est Christi, in quo fuit gratia habitualis infinita quodammodo, virtutes morales per se in sua remota imperfectiōe, in sua per accidens, timoris donum, &c. verbo, gratiæ plenitudo.

43. Fuit etiam in Christo scientia creata & increata. Per creatam, eamque beatificam cognouit Deum & omnia quæ formaliter in Deo sunt, plurima, quæ in potentia, nunquam futura, omnia quæ nouit Deus scientia visionis, & quæ sunt in potentia creaturæ. Per infusam euidenter res omnes naturales, cogitationes hominum, Angelorum, futura contingentiæ, res supernaturales omnes, & quidem per earum proprias species & intuitiue, non tamen Deum aut Trinitatē nisi abstractiue. Per naturale omnia quæ naturaliter cognosci possunt.

44. Christi humanitas fuit & etiamnum est verum instrumentum in suo genere propriè & physice efficiens effectuum supernaturalium, Christus promeruit apud Deum aliquid etiam tam per actus charitatis Dei & proximi, quàm obedientiæ sibi quidem gloriæ corporis, & ea quæ pertinent ad exteriorē excellentiam nominisque exaltationem. Hominibus plurima. Orat pro nobis in Coelis oratione interpretatiua & expressa. Per potestatem excellentiæ habuit Dominium in res omnes amplissimum.

45. Sacramentum est signum sensibile ex institutione diuina gratiam, quæ in eius vsu conferatur, significans, & suscipientem aliquo modo sanctificans: vel est res sensibilis in p̄mine aliquo modo sanctificans, & gratiam in ipso vsu ex diuina institutione significans. Sunt septem legis nouæ, & constare debent omnia rebus & verbis, vel ut materia & forma. Sunt causæ Physicæ & morales gratiæ, quædam etiam characteris. Substantialis materiæ vel formæ immutatio Sacramenti valorem tollit, non accidentalis.

46. Baptismus pro materia exigit aquam naturalem elementarem, quoad formam requirit expressam SS. Trinitatis inuocationem. Medium ad salutem necessarium siue re siue voto susceptus. Minister ordinarius sacerdos est, extraordinarius in casu necessitatis quilibet Laicus. Tollit per se omnem culpam & pœnam.

47. Sacramentum Eucharistiæ est vnum specie in se, potest etiam esse vnum in indiuiduo; imò aliquo sensu dici potest in toto mundo vnum esse & sumi, quod per materiam & formam intrinsecè constituitur. Vna species sine alia valdè consecratur, non tamen licitè per se & ex directa intentione. Aptā materia est panis ex tritico, & vinum simpliciter dictum.

48. Transubstantiatio est actio substantialis, non propriè mutatio, vel creatio, nec similis conuersio vnde quæque aliis conuersionibus, sed est supernaturalis quædam & singularis, quæ de se productiua est, re ipsa tamen conseruatiua corporis & sanguinis Christi, ex huius etiam actionis vi, qua corpus Christi præfens constituitur. Species atque non solum physice, sed prout per verba formæ significatur, destruitur panis & vinum.

49. Materia pœnitentiæ remota sufficiens sunt peccata venialia & mortalia semel ritè confessa, cætera peccata mortalia actualia materia necessaria, proxima sunt Contritio, Confessio, Satisfactio. Forma essentialiter consistit in his verbis, *Te absolue*. Huius Sacramenti

Disputatio Theologica.

pars essentialis materialis concurrat effectiue vel moraliter ad effectum huius Sacramenti. Ad valorem sufficit attritio etiam cognita. Probabilius est dari posse confessionem informem validam tamen.

50. Satisfactio Sacramentalis ex opere operato non confert gratiam, sed poenam temporalem remittit, quam tamen in statu peccati mortalis peracta non remittit, si tamen post obex remoueatur ad hunc reuiuiscit effectum, nisi intrinsicè peccaminosa fuerit. Peccata mortalia semel remissa formaliter, nec quoad culpam, nec quoad poenam redeunt in homine denuò peccante mortaliter.

51. Beneficio etiam poenitentiae merita omnia per peccatum mortale mortificata reuiuiscunt, quoad totum valorem gratiae & gloriae: immo semper cum maiori gratia resurgit homo, quam ceciderat. Episcopatus minoresque ordines sunt Sacramentum. Matrimonium inter infideles ante baptismum in initum licet non sit Sacramentum, tamen eo ipso quod baptismum post suscipiant fit Sacramentum.



Laus DEO, Beatissimaeque Virgini MARIAE.

Approbatio.

Præsens disputatio ex omnibus partibus summæ S. Thomæ congesta, vniuersæ Theologiæ æconomiam ritè, breuiterq; complectitur, nihilque continet, quod purè, putèq; Orthodoxæ fidei veritati non congruat. Dignissima igitur est, quæ typis mandata in lucem prodeat.

P. STEVARTIVS, Leodius SS. Liter. in Acad.
Ingolstadt. Professor, Procancel. & hoc tem-
pore Colleg. Theol. Decanus.